



Hollandia

Kaart van Holland, Pieter van den Keere, 1617

<https://hdl.handle.net/1874/20423>

Zelandiæ & Frisiæ Orientalis Comes 1. Hic filio pupillo *Theoderico* relicto e vivis excessit: *Gertrudis* ejus vidua Hermanni Saxoniarum Ducis filia, ad secundas nuptias transiit cum Roberto Frisio Flandriæ Comite, cujus pater Balduinus assignato illi Alostano Comitatu & v. Insularum Zelandicarum portione, Imperij Flandrici cupiditatem, & quam ab ingenio præferoci metuerebat injuriam redemerat. Vxoribus suæ nomine curacionem Hollandiæ, Ordinum voluntate, pupillorum tutelam Robertus suscepit. Ipsidem temporibus Gulielmus Episcopus Ultræjectinus XXI Vî-bingo progenitus Gelriæ Præfecto, ad Hollandiæ Comitatum, suo artificio & Cæsaris Henrici errore obrepserat. Sed cum de hoc honore tituloque male parato, Antistes diffideret, Gotefridum Lotharingum, cui dorsi Nemesi nobile *Gibberosi* cognomen impressit, celeriter accessit. Ille armis in Hollandiam viam sibi patefecit, fuditque repugnantes: Frisium cum uxore liberisque fugavit, & a Præsule Gulielmo per urbes circumductus metuque inauguratus Hollandiam usurpavit, ab eodem Pontifice in feudum acceptam. Sed navali demum prælio, a Theoderico v. legitimo Principe superatus & cæsus, imperium injusto titulo occupatum amisit, & *Theodericus* in paterna ditone admisit. Deinde *Florentinus* nomine 11, corpore obesus, ingenio pacificus, Hollandis, Zelandis, & Frisijs imperavit: foedere cum Henrico v. Cæsare icto, Zelandicis Insulas a Roberto repetiit. Hunc vi est secutus *Theodericus* illum *Florentinus* qui in belli sacri ad Antiochiam laboribus posteritati memoriam, animam Deo devovit. Huic *Theodericus* VII filius surrogatur. Hic prospere in Zelandis, exactis inde Flandris, in Brabantia pugnavit infeliciter. Nam Buscoducis vi subita occupato sua captivitate & pretio damnum luit. *Gulielmus* ejus frater Comes Frisiæ Orientalis, mox a fratre obitu principatum arripuit, Ludovico Loffensi Comite repulso, qui Adam *Theoderici* legitimam heredem uxorem duxerat. Post mortem Gulielmi I Comitis Hollandiæ filius ejus *Florentinus* hujus nominis IV fit inde Comes, quem rerum fortissime gestarum magnitudo, virtutisque & peritiæ dimicandi admiratio in exitum adduxit, a Comite Claromontensi obruncatum. Post cædem paternam *Gulielmus* II filius admittitur, quem primum diadema Aquilegrani accepisse, præfente Pontifice Cardinali VValseburgius auctor est. Præter cætera hujus Principis memoratu digna opera Palatii regij apud Hagam Comitis existit decus. Cum autem Gulielmus partim glacie, partim Frisorum insidijs esset obrutus, *Florentinus* hujus nominis v. nondum anniculum reliquit: de cujus tutela exitum diffidiam foedere componitur: vetus de Zelandicis Insulis controversia, matrimonio conquiescit. Etenim cum Zelandia in fide ac clientela Comitum Flandriæ adhuc esset, *Florentius* Guidonis Prætoris Comitis filiam Beatrixem nomine uxorem ducens, a Comes Zelandiam cum omnibus regionis ejus Insulis possedit. Sed foedo suorum paritudo trucidatus obstruprum uxori Gerardi Velsenii oblatum ad *Joannem* I filium transmissit provincias. Huic uxor Elizabetha Eduardi I Anglorum Regis filia torum sterilem, ac Comitibus Hannoniæ hereditatem amplissimam attulit. Enimvero Ioanne I ex humanis sublato, *Joannes* II natus ex *Alida* Florentij IV filia, & *Joanne* Avenienti Comite, Hollandiam, Zelandiam, Frisiâque cum Hannoniâ conjunxit, quemadmodum in Comitibus Hannoniæ recensendis supra declaravimus. Hinc Bavaris, inde Burgundis, denique Austriacis, Hollandiæ Zelandiæque Comitatus, & Dominium Frisiæ obvenit. Habitatunt hic olim *Batavi*, *Caninefates*, *Frisij*, *Cauci*, *Frisiobones*, *Sturij*, *Marsaci*. *Batavi* populi inter Belgas, progenies Cattorum, populi Germaniæ, qui ob intestinam discordiam vernaculo solo exacti, transito Rheno novas sedes quæsierunt, & occupata extremi Belgij ora colonis vacua, Insulam quoque Rheno amne circumflua usurparunt. *Caninefates* dicti, auctore Junio, a Cuniculorum cibatu, quasi *Caninefetes*, Batavorum Insula partem habitatunt, teste Tacito, cui origine, lingua patres Batavis, numero superabantur. *Caninefates* eos vocat Plinius; *Camanefates* dicuntur in quadam inscriptione: nunc *Kennemerlander*. Horum Insulam ab ostio Rheni medio extendit Hadrianus Junius ad Orientalem Rheni eicem, qui supra Harlemum fuit: qui obstructus lacum effecit Harlemensem. Inde *Frisij* sequuntur, quos utrique Rheni ripæ prætexit Tacitus adfirmat, & immenso insuper lacus ambire, quos hodie vocamus *Zuyderzee*. *Cauci* Plinio, inter Helium & Fleum sternenti, interpretes Junio *Goeylander* sunt: ut *Frisiobones*, *Waterlanders*; *Sturij* vel potius *Tusij* (ita enim legendum ex emendatione Junij) *Tusenlanders*: & *Marsaci*, qui Tessaliâ & VVieringam incolunt, a quibus etiam hodie strem vocatur *Marsdiep*. *Batavi* porro bellica olim gloria clari admodum fuerunt. Hoc enim præsidio cum fide conjuncto in fraternitatem Imperij Romani accepti sunt. Hac duce benevolentiam sibi apud Principes constabulerunt, & stabilem sui fiduciam plerisque illorum Tyrannis impresserunt. Per hanc vulgo formidabiles, invictæ virtutis opinionem acquiserunt. Per hanc denique vera laudis imagine conspici esse ambierunt. Totum autem Hollandiæ corpus dividitur a Chorographis in *Austriam Hollandiam*, *Kinheimariam*, *Westfrisiam*, *Waterlandiam*, & *Goeylandiam*. Habetque urbes viginti & novem. Harum omnium primaria *Durdrechtum*, vulgo parum scite *Dordracum*, idem sonans quod *Dureti forum*. *Drechti* enim vocabulum idem sonuit apud veteres Batavos, quod apud Latinos *Forum*, quæ vox etiam extrema est in hisce *Hæstrechtum*, *Moerendrechtum*, *Papendrechtum*, *Barendrechtum*, *Swyndrechtum*, *Slydrechtum*: plane ut in Italia sunt *Forum Varronis*, *Forum Cornelij*, *Forum Appij*, *Forum Livij*, *Forum Julij*, *Forum Sempronij*. Sigillum etiam istius civitatis augustius epigraphen habet, SIGILLVM OPPIDANORVM IN DVREDRECHT. Facies urbis oblonga exit ad modum trimembris: ipsa opulenta & copiosa, imo eorum omnium quæ in annonæ reique alimentariæ usum venire atque expediti possunt, locuples quoddam penu est, fluminibus, vadoso mari, stagnisque incredibilem piscium volucrumque foeturam & copiam subministrantibus. Sicurum ejus inter flumina duo isti versus ostendunt:

Me Mosâ & Wahalis, cum Linga, Mervaque, cingunt,
Æternam Batava virginitas ecce fidem.

Sed non talis initio fuit urbis facies. Anno enim 1107 atroci & miseranda tempestate disjectis ac disruptis aggeribus avulsa est a continente, submersis duobus & septuaginta pagis, cum centum prope hominum millibus. Quam rem Chronologico versu complexus est Junius:

DVdreChto inCVBVIe Vis atroX InCIta VentIs
Vrbs qVa ISILLVIt proInVs haVsta MarI.

Vix alia urbs toto Hollandiæ tractu magnificentiora habet, & Agrippinensium ferme æmula ædificia, quæ cælum propemodum culminibus feriunt: hypogæa & cellæ vinariæ, nunquam Solem nocturnamve Lunæ facem admissura, arcuato opere fornicata sunt. Templum habet Virgini Matri consecratum, magnificentum, & artificio aduati operis quo concameratum est, merito suspiciendum. Vrbs ista jus habet Stapulæ nomine dictum, sistendi & retrahendi ad se merces exoticas quæcumque secundo anni importantur, ut nimirum eo loco stabulæ ur (si ad vocis originem alludere licet) ac conquiescant, donec venditæ sint: & inde rursus non alijs quam popularibus navigijs alio devehantur. Simile exemplum obtinet Atrebatur civitas in Francica vici, quæ plaustris importantur: Middelburgum quoque

Majorum virtus.

Vrbes.

HOLLANDIÆ COMITATUS,



Hollandiæ nobilem Comitatum descripturus, ab ejus nomenclatura initium faciam. *Hollandiæ* nomen ducunt a silvarum saltuumque frequentia, lignum enim & silvam promiscue *Holt* & *Hout* vocamus, ut *Hollam* sonet regionem silvestrem: omnia enim arbutis olim in horruisse referta prædicant, toto quaqua patet Hollandiæ tractu. Alij Hollandiam a cavitate dictam putant, quasi *Hol-lande*. Est enim universa regio palustris ac pedum pulsu vacillans: unde proverbij locum obtinuit, *Hollands Hollands*. Sunt qui a fœno Hollandiam quasi *Hoylandiam* nominatam arbitrentur. At eruditissimus lunius aliam sententiam indicat, Hollandiam Gothicæ Danicæque gentis coloniam esse, ut & Zelandiam, Danosque & Normannos desertis in Codano Sinu Insulis Olandiæ Zelandiæque in hæc loca migrasse, & a sua patria Hollandiam Zelandiamque cognominasse. *Præmidæ* refert Maro, qui in Epiro Opidulum Trojam cum Arce pergamo exstruxit, addita & imagine Scæ portæ & rivalo Xanthi Trojani amnis nomine: & ut in Indijs Novam Hispaniam, Novam Franciam Europæi effecerunt. Atque hæc rerum mutatio putatur incidisse in annum Salutis 1000ccxxxvi, quando a Danis & Normannis Batavorum ferro & incendijs vastatum, Frisijque tributum imperatum est, ut Sigebertus memorat. Hermannus Contractus Hollandiam vocat *Phladriningam*, a municipio vetustissimo quidem illo, ut videtur, quod *Vlaardingam* præfens ætas vocit. Veteres *Bataviam* dixerunt. Quamquam, postquam Francorum Regibus ita placuit, Hollandiæ Comitatus cum Batavia vetere neque idem plane est, neque plane diversus. In Insula Batavica statim a Culemburgo inferiora omnia Hollandiæ sunt, deinde Trajectensium eadem adhareret ditioni: in Goeylandia habet VVeFopum, Nardenum & Mudam, hi sunt veteres *Cauci*. A medio Rheno ad Mosæ ostium sunt Hollandi Australes: rursus ab eodem Rheno Septentrionem versus statim Kinnemariorum, seu Caninefatum ditio est: post eos VVeFfrifij seu Hollandi Septentrionales jacet, post hos VVaterlandi & qui insulas colunt Tessaliâ, VVieringam, & Flielandiam. Hæc universas omnis terrarum, uno Comitatus Hollandiæ nomine censetur. Eam a plaga Mundi Occidua, Britannicum Mare, a Septemtrione Cimbricum ambit & littora pulsar, ab ortu Solis Fretum amplum vulgo de *Zuyderzee*, Frisiam procul aperit, Eurotorum Transsilvana & Velavia, ad Austrum Trajectina ditio obtundunt. Regionis ambitus ad lx Millia extenditur, latitudo perexigua est, quandoquidem e medullio ejus, creditur viatori patere aditus ad extremos ipsius fines in latum trium horarum spatio, vel etiam hinc ad Oceanum, illinc ad Maris Sinum, est, ubi latitudo non æquat milliaria. Vnde colligi potest deductum a reliquo Bataviæ corpore Hollandiam, longæ æniæ aut litui potius incurvi faciem præferre. Cæli elementa destituitur Hollandia, hyems ibi maturior asperiorque, vis ventorum infestior aerem turbat, præcipue Caurus, qui illi peculiaris tyrannus additus videtur, arboribus hostis, satis inimicus, valetudini adversus, procellosus, marisque turbator. Vniversum autem Hollandiæ solum declive ac palustre est, passimque aquis transmeantibus udum, cui incommode ut occurratur, inventæ sunt hydromylæ, quarum alæ vento circumactæ tympanis quibusdam undas in altum evehunt, atque in Euripos incilescque fossas ejectione, ex quibus postea, sublatis catarractis, quotiescunq; Oceani reciprocantis æstus refluit, in maris Sinum aut amnem exuberans aquarum copia effunditur. Quæ incolarum cura indultiaque bonitatem adeptus est, ut cum quoque solo certare possit. Habet regio ista agros frugiferos quoque, & quidem luxurioso ac opimo frumento supra modum secatentes, sed qui tantillo in spatio, & in regione quæ vix populosiores invenias, ad suppeditandam tantæ multitudinæ alimoniam sint impares, neque frugum ubere sufficere possint. Pastuorum vero ea gratia atque ubertas est, ut Boum infinita alat armenta: Vaccarum quoque, quæ corporum vastitate, & lactis copia eximia. Constat sane, aliquibus Hollandiæ partibus Boves æstivis diebus, quatuor & quadraginta lactis heminas in mulctralia singulas refundere. Ioannes etiam Benningus Consiliarius Curia Hollandica, referente Guicciardino cætera observatione & minime fallente calculo ostendit, tantum Assendelphi, & xv vicinis pagis lactis uno anno ea Vaccis colligi, quantum & Germania Superiore Rhenensis vini devehatur Durdrechtum. Ex hac lactis optimi copia, Butyrum conficiunt, non barbararum modo Gentium, ut Plinius vult, sed Regum etiam & Principum cibum laudatissimum: Conficiunt etiam Caseos Parmensis aut Placentinis nihilo inferiores. Primæ tribuantur Tessalico & Gravesandico: secundæ Edamensi, quem imprimis vetustas commendat. Habent & cespitem fossitum, quem ex intimis haustum terræ penetrabilibus ipsisque adeo ex aquis eductum, ac vento & sole exstecatatum, ad foci adhibent. Quid dicam de Equis, quos generosos, præstantes, torosos, idoneosque ferendæ panopliæ, sed succussatores Hollandia producit, Equas etiam alibi nobiles, quæ ducendis matronarum piletis in Italia expetuntur, ad luxus ostentationem. In collibus arenarijs habet Cuniculorum innumeram multitudinem. Cervorum etiam & Damarum frequentiam, inque Hagenfi nemore Capreolorum greges: Avium quoque capturam quæstuosam, præfertim Anatam, Anserum, & autumnalibus mensibus Scolopacum, quas Plinius Rusticulas, Martialis Rusticas perdices vocat, nostri *Sneppas*. Sed hæc hastenus, ad Imperium majorum transeo. *Hollandia*, debilitata Romanorum potentia frequentibus Normannorum Danorumque populationibus fuit obnoxia, qui cum ulterius in Galliam erumperent, illorumque incursum ægre Franci sustinerent, *Carolus Calvus* eam provinciam viro bellicoso tradendam censuit: qui dum propriam ditionem strenue defenderet, ipsosque Normannos sedibus ibidem fixis deturbaret: Barbaros a Francorum finibus arceret, objecto illis Hollandiæ propugnaculo. Sic eodem fere tempore, atque consilio, quo oræ maritimæ Saltuarijs præfecerat, *Theodericum* Sigiferti Aquitani filium Hollandis Comitem primum dedit, anno 1000ccclxi. *Theoderico* patri successit *Theodericus* II filius, huic *Arnulphus*, qui ab Othone III Imperatore impetravit, ut Hollandiæ, Zelandiæ, Frisiæque Comitatus Imperio Rom. fiduciarj essent, ut a Francis liberarentur. Eaque de causâ adductus existimatur *S. Henricus* Imperator ut ad donationem Valacriæ aliarumque Insularum Zelandiæ Balduino Barbatu Flandriæ Comiti factam proclivior fuerit. Arnulphum autem Comitum strenuum bellatorem, qui cum Frisij dimicans cæsus fuit, duo secuti sunt ordine *Theoderici*, hic multis, ille paucis, Imperium annis obtinens. Posteriori quia sine prole discesserat, frater ejus *Florentinus* successit, Hollandiæ, Zelandiæ

Regio.
Vnde dista.

Situs.

Cæli qualitas.
Soli fertilitas.

Animalium varietas.

Imperium Majorum.